

diæ tantum gratia, non item, §. 29. & 30. Interdum tamen  
 † instrumento plus, interdum minus accedet, pro varietate  
 locorum *d.l. 8. §. 1.* Optimum igitur erit, non propriam  
 verborum significationem scrutari, sed imprimis quid te-  
 stator monstrare voluerit, deinde in qua præsumptione  
 sunt, qui in quaque regione morantur, eleganter monet  
*Pedius in l. 18. §. 3. in f. b. t.* De vasis vinariis inferius di-  
 cendi erit occasio. Tantum de vinea.

## RACEMATIO II.

D E  
 V I T E.

## PALMES I.

**N**on sufficit habere prædium, sed & vitibus illud  
 conferere oportet. Quapropter pauca quædam, 1  
 quæ circa vites occurrere animadvertimus huc  
 adferemus. Duplicem autem † reperimus vitis u- 2  
 sum, naturalem, fructus ferentem; & moralem tribuni-  
 tiam, centuriam, militarem. Quemadmodum enim &  
 vinea militaris † est, machina quædam majoris operis mo- 3  
 lisque, quæ viminibus, vitis instar hinc atque inde ad latus  
 utrumque assurgentibus, interque se contextis, cubiculi a-  
 licujus specie, oppugnatores circa muros tegebat, crudis  
 per latera coriis, & superne nonnunquam terra, adversus  
 tela & incendia cooperta, veluti eam depingit *Fl. Veget. de*  
*R. M. lib. 4. cap. 35.* Ita & vitis militaris, ex usu quem præ- 4  
 stitit, fuit. De hac extat. *l. 13. §. 4. ff. de Re mil.* Irreverens  
*miles non tantum à Tribuno vel Centurione, sed etiam à principa-*  
*li coërcendus est. Nam eum, qui Centurioni castigare se volenti*  
 C restit-